



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

v. De Sacramento Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

uendi & ligandi potestas diuinitus data est, quam non poterit utique cum iudicio exercere, hunc pro meritis soluens, illum vinciens, nisi ex peccatorum enumeratione proprio ore facta, etiam criminum occultorum notitiam habeat^a.

^a c. uoluisse.
De pœnitē.
dist. 2.

Sed quia parum fuerit, sacramenta esse instituta, nisi etiā cura adhiberetur, ut hi quorum utilitati eorum inuentione & institutione prospectum est, ea non recipientes dignam mercedem habeant: idcirco in Concilio generali Innocentiano sancitum est, ut quilibet Christianus, ubi ad annos iudicij peruenit, quolibet anno hoc se sacramento exercent, sua crimina proprio sacerdoti aperiendo, nisi à Christianorum communitate repelli velit, & Ecclesiæ ingressu arceri, & post mortem Ecclesiastico sepulchro interdicti: quo Concilio etiam pœna sancita est aduersus Sacerdotē, qui peccata sibi Pœnitentiæ causa resecta quouis modo prodiderit^b.

^b c. omnis u
triusque se-
nus. ext. co.

DE SACRAMENTO Eucharistiæ,

TITVLVS V.

Vbi homo pœnitentiæ ope à lapsu exirexerit in domino, tum verò ei cauendum est, ut in bono perseueret, ac crescat: quem ad usum insti-

tuit Christus sanctissimum suū Eucharistiæ sacramentum, sub visibili specie panis & vini, quæ verum Christi corpus & sanguinem nobis præbet: quo quidē sacramento nullum maius esse potest, nec vlla potior oblatio^c.

Cuius forma in illis verbis solennibus consistit, quæ Christus nobis reliquit.

Nemo autem illud facere potest, nisi Sacerdos, qui ritè sit ordinatus secundum clauas Ecclesiæ, quas concessit Apostolis, eorumque successoribus Christus^d.

Illud autem sumunt, vel illi ipsi qui id fecerunt, id est, sacerdotes, aut alij, siue laici, siue sacerdotes, quibus per sacerdotē alium propinatur. Sumunt verò ipsi sacerdotes, dum missam celebrant: nam quotiescunque sacerdos sacrificans corpus & sanguinē Domini nostri IESV Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis dñi nostri IESV Christi participem se præbeat, nisi ab ipsa cōmunionē annum velit esse suspensus^e.

Missæ autem celebrationem Iacobus frater domini, & Basilus Cæsariensis adinuerunt^f.

Eaq; non debet nisi à ieiuniis celebrari^g. Nec nisi vna missa à quouis sacerdote vna eadēque die, si iusta causa nō subest, celebrari potest, die natiuitatis Dominicæ excepta^h. Qui ve-

^c ca. nihil. de
consec. dist.
2.

^d c. 1. de son.
trin. 5. pe.

^e c. relatum.
in fi. de con-
secr. dist. 2.

^f c. seq.
ca. Iacobus.
de consec.
dist. 1.

^g c. sacramen-
ta. ca. dist.
^h ca. sufficit.
ca. dist. c. 3.
de celebra-
missar.

rò

rò pecunia inductus, vel adulationibus secularium plures eadem die missas celebrare non formidavit, hic non creditur damnationem evadere^a.

Caueat verò sacerdos, ne dū missam celebrat, & sacramenti mysterium facere simulat, suppressis verbis solennibus, quibus sacramentum cōficitur, panem & vinum inane tantummodo sumat, dū fortè veretur missam celebrare, quòd se sciat letali crimini obnoxium, & eam tamen propter aliquam necessitatem intermittere non potest: nam etsi levis non sit eius noxa, qui criminis grauis sibi conscius sacramento impudenter sese ingerit, longè tamè grauius crimen illius existimandū est, qui prædicto modo aliud agere, aliud simulare nō formidavit: ille enim Deum solum, hic & Deum & populum lædit, & quod in se est, ludit^b.

At laici sacramentum de manu eorundem sacerdotum expectant, & clerici Presbyteris inferiores: nemo enim illud ministrare debet excepto Presbytero, adeò vt Presbyter puniatur, qui per alium ægro sacramentum ministrat^c.

Sed quamvis olim quilibet Christianus ætatis legitime ter in anno sacramentum assumere iuberetur, id est, in festo Paschatis, Pentecostes & natalis Dominici^d: hodie tamen, quia

decescente fidei feruore ægrè hoc obseruabatur, ex Concilio generali sancitum est, vt quouis anno saltem semel, idque in Paschate resurrectionis ad hoc conuiuium quilibet accedat, de licitorum confessione præmissa: alioqui Ecclesiæ ingressu & Ecclesiastica sepultura prohibeatur, nisi proprii sacerdotis consilio legitima de causa id distulerit^e.

Hoc autem sacramentū non, nisi ieiuno stomacho regulariter suscipi debet^f: consultiusque faciet, si etiam à propria vxore tribus saltem diebus antè, totidemque post se continuerit^g.

Presbyter curet sacramentum Eucharistiam ad omnem ægri cuiusque repentinam necessitatē semper paratam habere, ne sine ea ægros mori contingat^h, & diligenter obseruetur, vt in cunctis ecclesijs Chrisma & Eucharistia sub fida custodia clauibus obsignata seruentur, ne ad illaqueat temeraria manus extendi ad aliqua nephanda patrandam. Si verò is, ad quē spectat Custodia, noctes, diēsque stertens ea incautè reliquerit, tribus mē sibus ab officio suspendendus erit. At si propter eius negligentiam aliquod nephas inde contigerit, grauiori e iam subdendus est ultioniⁱ.

DE SACRA VNCTIONE,
TITVLVS VI.

^a d. c. sufficit.

^b c. de homine. de celebrat. missa.

^c c. peruenit. de consecr. dist. 2.

^d c. si nō frequētius. de consecr. dist. 2. Ab. d. ca. omnis utriusque.

^e d. ca. omnis utriusque.

^f ca. liquidè de consecr. dist. 2.

^g c. omnis homo. ca. dist. ubi gl.

^h ca. presbyter. ca. dist.

ca. 1. de cres. sta. Euchar.